



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

28. Dies Febrvarii. Nemo quām benè vivat, sed quām diu curat, cum omnibus possit contingere, ut benè vivant, ut diu, nulli. Senec. ep. 22.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

## 28. DIES FEBRVARII.

Nemo quām benē vivat, sed quām diu curat, cum omnibus possit contingere, ut benē vivant, ut diu, nulli, *Senec.*

*ep. 22.*

Finiri I.  
mensis  
brevitas.

**V**nus adhuc per hunc annum vixisti mense, & si calculos subducas annorum, fortè diu; sed an etiam bene? Nullidiu vivere, est integrum, bene, omnibus est arbitrarium. Revoca in memoriam totum per hunc mensem, anteactum tempus, & invenies, ut reliquos omnes antecedentes annos, sic & hunc effluxisse mentem. Ut porrò aestimes inestimabile pretium temporis, & obstupescas perniciissimam ejus velocitatem, quid sit tempus inquire. D. Augustinus (*a*) id solum putat quod praesensest, hoc est, punctum. Hiccine ergo est ahæneus ille murtus? hæc columna, saxumque immobile, quo nostra hæc, scilicet dum hic nugamur, beatitas fulcitur, superbit, stabilitur! Hujus inquam apicis natura in eo posita est, ut esse valeat, si quid sit, nisi desinendo; nam quo pacto id esse putemus, quod minimè constat aliquando, eoque imperio desinit, ut teneri nisi punto temporis nequeat, quod ipsum diripitur, fugitque dum tenetur! Siste si potes vel diem integrum, illam quam gustas attonitis fauibus lauti convivii voluptateim, dumtaxat per horam ne fluat, inhibe, moram huic mensi Februario jam desinenti,

brevem

(a) *I. Conf. 27.*

Februari.

Tessera.

159

brevem pone. Frustra es : te tempus citius secum abripiet, quām ut tecum subsistat, & in suum exitium currere intermittat.

II. Et huic momento immortales annos ; salutis nostræ summam huic nihilo vili , ac misero beatam postponimus ? Huc sacrificamus cæci , ac stolidi , quidquid Christus suâ morte , ac vitâ comparavit ? Quis lœtum noctis unius somnitum , annorum centum supplicio non liceat? Quis æterna viscerum tormenta, subamari cibi levi molestiâ non redimat ? Stilla oceanum ? æternitatem semihora ? arenæ grano , totum quantum est cælum ? Hoc tamen quidquid est tam exile, ac breve, inter digitos nentis trajicitur , sed nentis aranearum telam, & in prædam muscarum intestina sua evolventis. Tot suspiciones , curæ, machinamenta, metus, cogitationes , tam temerè , tamque improvidè , inscienterque fusæ , suspensæ , catenatæ , implexæ , hæc inquam nostra sunt plerunque studia , labores , & cursationes in auras , in vana , in nihilum , quibus in hoc vitæ individuo apice sciendo , curando insanimus , æternitatis imminentis vertici nostro prorsus immemores nobis interim pereuntis.

III. Sed labilis nostri temporis rationem nihil tam breviter, & dilucidè subjicit , ut hæc pauca Jobi verba. (a) *Umbræ transitus est vita nostra.* Est enim umbra nihil proprius quām ipsum nihil ? at umbræ transitus , minus etiam aliquid ipsa umbra , cuius instar, dies nostri fugiunt. Ut enim rupi firmissimæ imposita ex ære statua , perennitatis speciem quandam tefert; sic multo magis temporariæ mutabilitatis ejus statuæ umbra , utpote mobilis , varia , nunc major ,

(a) *Sap.* 2.

nunc

nunc brevior interdum nulla ; stat enim illa ære omni perennior, æternitatis moles, invitis turbinum, & vicissitudinum flatibus ; dum umbris etiam versatilior hæc vita, plures multo , quam luna , & Euripus, valetudinis, voluntatum, & quod est maximè lugendum , probitatis decessus ; jactationesque tum patitur, tum amat. Non opus est vetera repetere, se quisque unum in medio ponat, immo vel unum quemcumque maluerit vitæ suæ diem , & quam fuerit labilis , jactabilis, inconstans, disparatus, attendat. Denique sic umbra imago est corporis , & vitæ hæc nostra æternitatis , ut pertinaci obstinatione suo archetypo utraque aduersetur , dum lævum dextro , sinistro extrum, æternum brevissimo , incomparabilē minimo, vilissimoque repræsentat. Unum tamen est misericordiarum, quibus in hac vita involvitur non leve solatium, quod occasio est , ac sementis beatæ immortalitatis, de quo sequenti die. Interim dum tempus perniciissimè fluit , ne salutis promovendæ tibi occasio effluat, Deum ora quālibet hora, nam

*Transit ut unda fluens, tempus, & hora rnuens.*

\*\*\*

\*\*

2. DIES